

interim sacra reconduntur loco. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, Ps. XXXIII. Demonstratum hoc voluit Deus aliquot miraculis, uti manu S. Oswaldi regis Anglorum et manu S. Stephani regis Hungarorum; quæ quod largas erogassent eleemosynas pauperibus, solæ e cæteris membris incorruptæ manserunt in sepulero, ut habet eorum vita. Rursum in lingua S. Antonii de Padua, quæ ferventissime prædicat, ut est in vita S. Bonaventuræ. In pollice S. Edithæ virg. quo signum crucis sibi impressit sedula in ejus vita, 16. sept. apud Sur. Arma etiam militiæ nostræ sunt, quæ describit apostolus ad Ephes. VI. *fides, spes, charitas*, et virtutes aliæ, quas abjicere non licet, nisi rei perfidiæ esse velimus. Solebant antiqui milites, qui in prælio occubuissent in ipsius clypeo, veluti in feretro quodam glorioso offerri ad sepulturam, teste Virg. l. X. *Aeneid.* Lacæna quoque matres filium ad militiam profecturum clypeo obarmabant cum hoc monito: Aut cum hoc, aut super hoc, q. d. revertere quidem, sed aut vivus cum hoc clypeo, aut mortuus super illo, *sine hoc nec vivum nec mortuum te aspiciam*, Auson. teste. Idem hoc Ecclesia cathol. filiis suis occinit, ut cum fide vera, quæ est scutum nostrum juxta id Eph. VI. *In omnibus*, seu ut est Græce, *super omnia sumentes scutum fidei*, revertamur e prælio, seu vivi seu mortui; et sine hoc fidei scuto non admittit eos ad sepulturam sacram. Nam ut ait S. Leo Pp. ep. XXIX. c. VI. *Quibus viventibus non communicavimus, eis mortuis quoque communicare non possumus. Quod etiam facit Ecclesia notoriis peccatoribus, qui sine penitentia decesserunt. Cujus exemplum recenset S. Gregor. Pp. in dial. de Valentino quodam Mediolanensis Ecclesiæ defensore, qui ob vitam lubricam infamis et impœnitens obierat, et in ecclesia sepultus, noctu videntibus custodibus a duobus deterrimis spiritibus cum clamore extractus, atque extra templum in profanum sepulcrum abjectus, manequè in eo repertus est.*

IV. Juxta arma naves sculpsit, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. Quid vero hæ naves portenderunt? An forsitan hujus vitæ fugacitatem, de qua Job, c. IX. dicitur: *Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes*. Hujusmodi sane naves pergunt celeriter, ne si moras traherent, poma interim putrescerent; atque ita ex hac vitâ transierunt. Heroes illi, sed onusti bene olentibus bellicarum virtutum pomis, ut possent dicere cum sponsa Cant. VII. *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*, h. e. omnia opera nostra ab initio usque ad finem perfecimus, et obtulimus ad tuam solius glo-

riam. Id quod homini omni ad salutem necessarium est, ut in bonis operibus perseveret usque in finem. An vero indicabant eos, placida et pacata morte in Domino occubuisse, sicut qui vehuntur navibus, placide feruntur? Certe ipsorum mors quid fuit, nisi portus, in quo longæ et turbulentæ navigationis finis, laborum requies, meritorum securitas sita erat, ubi non amplius bonorum operum, quibus onusti erant, amissio per naufragium timeri poterat? Videntur hæ illorum naves ab omnibus, qui hoc mundi spatiosum et periculosum mare enavigant, non sine fausta acclamatione et deprecatione. An forsitan, ut posteris documento essent, nil in hoc mundo stabile, nil perenne esse; siquidem ethi fortissimi milites, qui videbantur esse columnæ, ex hac vita emoti sunt; quemadmodum et naves, cum magna sint, a ventis validis aguntur et circumferuntur, Jac. III. Ut ita nemo suis viribus aut ætati fidat. Unde bene Anacharsis Scythæ dixit: *Nullas omnino naves a naufragio tutas esse nisi quæ in sicco extractæ sunt*, apud Laert. l. l. c. III. Solum cœmeterium securos nos reddit ab ulteriori lapsu et miseris hujus vitæ. Neque enim coronæ regiæ ab his eximere possunt homines. Ad hoc igitur naves illæ spectantibus propositæ sunt, ut sciat unusquisque regere navim suam, ne in scopulos allidatur, sed felici fine ad portum salutis æternæ pertingat: id quod defuncto quoque nostro contigisse sperare nos jubet ejus vitæ honeste et laudabiliter transacta, etc.

## CONCIO IX.

ALIIQUOT SYMBOLA SEPULCRIS INSCRIPTA.

THEMA.

*Erexit Jacob titulum super sepulcrum ejus.*  
Gen. XXXV.

Antiqua consuetudo erat, non gentilium dumtaxat, sed et Christianorum, sepulchralis præclarorum virorum lapides inscribere symbolo aliquo, quo illorum gesta saltem insigniora posterorum oculis memoranda proponeret. Commune vero illud erat gentibus cupressus arbor, Plutoni sacra, quod excisa semel renasci non soleat, ideoque ad vestibulum mortui ponebatur, a quo existimabant nihil amplius sperandum; quia nimirum illi animam simul cum corpore extingui crediderunt. Sed absit a fidelibus vana hæc persuasio; quinimo quia cupressus perpetui est viroris, odoris quoque suavissimi, et præterea putredi-

nem, cariem et senium nescit, symbolum nobis sit immortalitatis nostræ, tum animæ, quæ semper viret et vivit; tum corporis, quæ suo tempore iterum resurget, reflorescet et perstabit in omnem æternitatem. Quare alia nos hic proponemus sepulcrorum symbola magis christiana, quæ veriorem nobis doctrinam afferant.

I. Veteres sepulcris fortium virorum leonem insculpebant, teste Pausania in Bœoticis, eo quod leo dormiat apertis oculis; quasi viri illi fortes etiam dormirent, in somno cogitarent de rebus strenue gerendis. Verum nos christiano et veriore sensu hoc symbolum pijs omnibus fidelibus, qui dum in mundo viverent, leonum instar se gesserunt, facti terribiles Satanæ et pompis ejus præsertim si et ante ultimum cum morte conflictum se munierunt cœlesti illa armatura corporis Domini; de qua S. Chrys. hom. LXI. ad pop. Antioch. ita loquitur: *Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles*. Isti igitur non tam mortui, quam dormientes censendi sunt, quemadmodum testatur ipsemet Christus Dominus tum de Lazaro, tum de filia Jairi; quia ut illi statim resuscitandi erant, ita ad finem mundi resurgent cæteri omnes. Porro leones isti dormiunt apertis oculis, quia licet corpora eorum emortua quiescant in sepulcris, oculi tamen, h. e. animæ eorum vigilant, ac vident in cœlo Deum, et nequaquam sunt in tenebris, uti fingunt acatholici. Id enim, licet olim in utramque partem controverteretur, postea tamen definitum est in Concilio Florentino, sess. ult. in decreto unionis Latin. cum Græcis, et in Concilio Trident. sess. XXV. Idemque docuerunt Innocentius III. et Benedictus XII. Pp. et confirmatur ex ss. litteris; in primis ex verbo Christi ad latronem prolato, *Hodie mecum eris in paradiso*; non utique terrestri; quid enim animæ a corporibus sejunctæ facerent in illo paradiso, Christi præsertim: cum paradisi ille terrestris pro corporum, non animarum deliciis factus sit? Ut taceam, quod paradisi ille nullibi post diluvium compareat, ac probabiliter etiam destructus sit. Idem docent verba S. Stephani, quando videns cœlum sibi apertum et gloriam Dei, exclamavit: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*. Frustra enim fuisset et hæc oratio et cœli reseratio, si non mox in cœlum recipiendus fuisset. Testantur et inter alia apostoli verba: *Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo*, ad Philip. I. Si enim post mortem expectanda ei fuisset dies judicii, ut tum demum Christo frueretur, frustra desiderasset dissolvi potius, quam vivere; quia tam post mortem fuisset absens a Christo, quam si in vita

perstisset. Ita enim S. Chrysost. eum locum explicans, serm. IV. ait: *Cum jam Christus mihi videndus esset, elegi propter vestrum profectum manere*. Denique si divitis illius epulonis anima statim post mortem deportata in infernum, ibique cruciata, ut habetur, Luc. XVI. cur non et justorum animæ mox ad beatitudinem evolent, postquam Christus reseravit cœlum? Taceo loca alia et patres quam plurimos; e quibus unum audiamus Chrysostomum, l. de sacerdotio ita scribentem: « Quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui et id vidisset ipse et audisset; quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi ven. sacramenti, cum pura conscientia fuerint participes spiritum efflati, ab angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacramentum hinc recta in cœlum abducuntur. » Intellige, si ut ait, *puram habuerit a culpa et pœna conscientiam*.

II. In Quinti Martii fortissimi ducis sepulero incisus fuit aries, duobus stans erectus pedibus, et lepus coram eo jacens mortuus. Aries ducis fortitudinem, lepus hostes ab eo prostratos significabat, apud Joan. Bapt. Font. lib. V. de priscis gen. c. V. Nos christiano ritu et sensu rectissime hoc symbolum sepulcris nostris inscribimus. Quis enim aries iste nisi Christus Dominus, quem in figura ejus mactavit pro Isaaco Abraham, inter vepres hærentem cornibus? Gen. XXII. Ita enim testatur S. Ambros. lib. de Abraham, cap. VIII. S. Athanasius et alii, Aries propter divinam fortitudinem, et quin dux totius gregis est christiani. Hic ergo dum erectus stetit in cruce, occidit mortem, non armis, non cornibus, sed ipsa sua morte; ita ut jam lepus quasi enectus sit, qui prius leonis instar sævierat in homines. Unde ei velut enecto et imbelli lepori illudere jam possumus cum apostolo I. Cor. XV. dicente: *Ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Citat enim Oseam de Christo sic vaticinantem: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne*. Quemadmodum enim elephas circumvolutus et admorsus a dracone, cadit quidem et occumbit, sed ipso suo casu opprimit draconem, uti refert Pierius, in hierogl. et alii; ita Christus a morte invasus et vulneratus, sua ruina obtruncavit mortem; tertio vero die revixit. Unde S. Hieronymus in epitaphio Nepotiani mortem alloquens, illicque cum S. Paulo insultans ait: « Qui per Oseam quondam tibi rigidus minabatur: *Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus inferne*: illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus. Devorasti et devorata es; dumque assumpti cor-

poris Christi sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente (vel ut alii legunt unco) confossa sunt. Gratias tibi Christe Salvator, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti. »

Mors igitur jam quasi apis est, sed stimulo privata, ut non modo non vulnerare queat, sed mel salutis potius conficiat. Unde apostolus: *Ubi est mors stimulus tuus?* Mors prius tyrannus fuit, quales obstetrices illæ Ægyptiæ, quæ ex imperio Pharaonis necabant omnes infantes; postea talis facta est, qualis fuit obstetrix illa, quæ Moysen servavit et ad regis aulam nesciens promovit. Ita enim S. Gregorius Nazian. in funere patris scribit: « Mors quæ non modo nos a præsentibus vindicet, verum ad supremam quoque vitam sæpe traducit, haud scio an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam reformidabilis, etc. » Denique sicut Valerianus imp. a Persarum rege Sapore devictus, et subjugatus servire ipsi curvata cervice pro scabello debuit, cui pedem ascensurus in equum, imponeret, ut testatur Sextus Aurelius, ita mors a Christo depressa est, ut et ipsi et electis ejus scabellum facta sit ad conscendendum in cœlestem beatitudinem.

III. In sepulcro Isocratis, celeberrimi apud Græcos quondam oratoris, insculpta erat Siren, insidens arietis et citharam manu tenens, apud Fabium Paulum, in hebdom. lib. cap. III. indicans, quod ille sua eloquentia attrahere ad se hominēssoleret, et conaretur, quomodo feruntur Sirenes sui cantus lenocinio pellicere ad se navigantes, et deinde in naufragium impellere. Verum nos hoc symbolum paulo aliter exponemus. Sirenem inter et cyenum hoc esse discrimen docent ex problematibus Aristotelis, quod Siren quidem dum vivit, suaviter cantillet sed in morte gemitus edat: cyenus e contra raucam et insuavem vocem in vivis habeat, sed moriens dulciter canat. Causam assignant, quod cyenus optimo ac subtilissimo sanguine abundet eo tempore, qui tunc cordi laboranti subvenire contendat: hinc dilatatio, lætitia, cantus. Siren vero dum vivit, bonum omnem ac defæcatum sanguinem pro nutrimento habeat: crassum ac deteriore reservet, quæ circa vitæ finem ad cor accurrit, illud cingit et obruit: hinc mœstitia et gemitus. Sirenes symbolice designant homines voluptati et deliciis addictos, qui in bonis ducunt dies suos, et interim nullam mortis curam habent; unde ad extremum malæ conscientie reatum ad cor reducunt et morte instantē gemunt. At vero, qui cyenorum instar peccata sua in vita deplorant, et viam virtutis

asperam perambularunt, in morte suaviter deliciantur, memores innocentie suæ et vitæ bene peractæ. Quare ex hoc capite reprobis potius quam justis quadrat hoc symbolum. Verum quia et peccatoribus patet ostium cœli, si in tempore et præventa morte respiciant et pœnitentiam agant, poterunt et ipsi cum lætitia et cantu discedere ex hac vita. Atque hoc significat illa Sirenis cithara, sedentes super arietem, quem paulo ante videmus denotare Christum pro nobis oblatum: cithara vero illa pœnitentiam designat. Tria enim sunt in cithara, manus dextra plectro percutiens, chordæ resonantes, et sinistra manus digiti chordas deprimentes. Manus percutiens est contritio: chordæ resonantes sunt confessio: digiti, qui eas premunt, sunt satisfactio, scilicet jejunium, oratio et elemosyna. Hanc citharam peccatori arripiendam suadet Isaias, cap. XXIII. *Sume citharam*, inquit, *circui civitatem meretricis oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Ergo ut bene canat et integre confiteatur, circumeat civitatem cordis sui, et pervestiget omnes actus suos generali quodam examine de acta vita sua, et frequentet hoc canticum; sic placabit sibi Deum et memoriam sui obtinebit. Lusit in hac cithara publicanus in templo orans: *Percussit enim pectus suam* per contritionem professus se peccatorem, per gratum edidit sonum, ad satisfactionem spectat quod vultu in terram depresso non ausus est aspicere cœlum, nec stare coram altari, sed postremum elegit locum. Sic lusere et placuere Deo peccatrices Magdalena, Thais, Maria Ægyptiaca, Pelagia, et alie. Sic lusit et veniam seclerum, quibus Ecclesiæ bona deprædatus fuerat, obtinuit Ragnerus Lotharingiæ dux, quando facti pœnitens et donatione amplissimi lati fundii Ecclesiæ satisfaciens diploma fecit, quo seipsum sceleris arguens ita se subscripsit: *Ragnerus Lotharingorum dux et prædo; quia Ecclesiam Dei persecutus sum*, apud Baron. anno 913.

IV. Amicorum sepulcris veteres insculpsere cordis figuram, teste Plut. lib. de fun. sive sui causa, ut ipsorum memores essent, uti supra exposuimus, sive defunctorum gratia. Primo, ut indicaret eos nequaquam invitos aut incompositos ex hac vita abiisse, sed volentes libentes ac cum desiderio ad sepulcrum divertisse. Salvator noster dixit Matth. VI. *Ubi est thesaurus tuus ibi et cor tuum*, h. e. amor, desiderium et cogitatio tua. Quam sententiam D. Antonius Padianus concionaturus in exequis cujusdam usurarii, proposuit loco thematis, postea inter alia ait: *Mortuus est hic dives et sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus: et in illius medio*

*invenietur cor ejus.* Iverunt et invenerunt adhuc calidum in medio nummorum. Ut est in vita S. Antonii. Simile (si non idem) est quod refert S. Antonius, in summa, p. II. tit. I. cap. IV. § VI. de avaro qui moribundus cum a suis admone-retur confessionis instituendæ, respondit: *Qui possim confiteri, cum corde caream? Et ne me delirare putetis, sperite arcas meas et auro meo, in quo speravi, affixum reperietis:* sic moritur impœnitens et apud aurum, uti dixit, inventum est. Verum pii et viri sancti cor suum non in auro, sed in sepulcro reponunt, illuc suas cogitationes et consilia dirigunt, ut ibi thesaurum suum inveniant, quem bene operando congregant: juxta id Salvatoris: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, etc.* Quomodo in cœlo quod a vobis tam remotum est, sepulcrum cœli gazophylacium est, quod ergo illuc comportamus, in cœlum comportamus, et ibi inveniemus. Atque ibi affixerunt corda sua viri boni, Laurentius Justinianus, qui diem mortis suæ quotidie in mente habuit necnon et alii plurimi, de quibus etiam supra diximus.

Deinde ut monerent viventes, sui hæredes, ne obliviscerent eorum, quæ in ultima voluntate sua ipsis demandavit, vel disposuerunt, circa legata præsertim ad pias causas et similia: alioquin eos accusaturi, nisi executioni mandentur. Audiant illi, quod Martinus Del Rio noster, vir juridicarum rerum expertissimus scribit, l. II. disquis. mag. q. XXVI. sect. V. recens sui temporis factum. « Horrendum plane, inquit, quod hesternæ die legi per scriptum Ticino mense aprili hujus anni 1607. in diœcesis Ticinensis oppidulo, quod Ceretto vocatur. Cum juxta in templo cuidam notario persolverentur, repente se cadaver e sandapila surrexisse, et conversum ad quendam cognatum suum, qui funeri intererat, ei dixisse, properaret domum suam et ibi scripta quædam instrumenta caperet, eaque loco cuidam pio confestim restitueret; propter quæ suppressa ipse defunctus justa Dei sententia foret inferni supplicii adjudicatus. Quo dieo iterum caput, uti prius reclinavit. Hoc a Deo permissum ut discerent mortales, quam graves pœnæ scribas hujusmodi perfidos et piorum legatorum interceptores manerent. »

Denique ut hæredibus et cognatis suis inculcasset sui memoriam ad fundendas pro ipsis preces aliæque pia opera peragenda, ne in altero sæculo ob piacula quædam nondum expiata, detineantur in purgatorio, ne cogantur dicere illud Psalm. XXX. *Oblivioni datus sum tanquam*

*mortuus a corde*, h. e. deletus e memoria hominum qui tamen pro hæredibus suis educandis, alendis, promovendis, amplificandis tam fuerunt solliciti, ut pene sui ipsorum fuerint obliti: qua ingratitude nescio quid esse possit majus.

V. Denique Christianorum, præsertim martyrum sarcophagis plurimis phœnix insculpebatur, et incidi jussus est in sarcophago S. Maximi martyr a S. Cæcilia, ut habent ejus acta. Si quidem de hac ave antiqua est opinio, quod post mortem reviviscat ex propriis suis cineribus, quo videtur alluisse S. Job, cap. XXIX. cum ait: *In nidulo meo moriar et sicut palma, aliqui legunt phœnix*, (quæ et avem illam et palmam significat) *multiplicabo dies.* Ita enim legit Tertullianus textum illum Psal. XCI. *Justus ut palma florebit*, in hunc modum: *Florebit velut phœnix*, id est, *de morte, de funere, de resurr. c. XIII.* Porro audiamus de hoc D. Ambrosium, l. V. hexam. c. XXIII. « Phœnix avis, inquit, in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea usque ad annos quingentos longæva ætate procedere. Quæ cum sibi finem vitæ adesse adverterit, facit sibi thecam de thure, et myrrha et cæteris, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat et moritur. De ejus humore carnis vermīs exurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti temporis induit alarum remigia, atque in superioris avis speciem formamque reparatur. Doceat igitur nos hæc avis, inquit, vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ et sine exemplo, et sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utique aves propter hominem sunt, non propter aves; sit igitur exemplo nobis, quia auctor et creator avium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, resurgens eam sui semine voluit reparari. Quis igitur huic annuntiat diem mortis, ut faciat sibi thecam et impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, et moriatur illic, ubi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac et tu homo tibi thecam: expolians veterem hominem cum actibus suis, novum indue. Theca tua, vagina tua Christus est qui te protegat et abscondat in die malo. Vis scire quia theca, quia protectio est; Pharetra, inquit, mea protexit eum. Theca ergo tua est fides, imple eam bonis virtutum tuarum odoribus, hoc est, castitatis, misericordiæ atque justitiæ, et in ipsa penetralia fidei suavi præstantium factorum odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fidei exitus vitæ hujus inveniat, ut possint ossa tua pinguescere et sint sicut hortus ebrius ejus cito

semina suscitantur. Cognosce ergo diem mortis tuæ sicut cognovit et Paulus, qui ait: Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi, reposita est mihi corona justitiæ. Intravit igitur in thecam suam quasi bonus phœnix, quam bono replevit odore martyrii. » Huc usque Ambrosius.

Jam vero talem quoque phœnicem fuisse nostrum defunctum, et futurum in die resurrectionis, dubitare nos non sinunt præclaræ ejus virtutes, e quibus utique thecam seu nidum sibi construxit.

## CONCIO X.

QUALEM PACEM PRECAMUR DEFUNCTIS.

## THEMA.

*Requiescant in pace. Canit Ecclesia.*

Communis bene precandi formula tam in novo quam in veteri testamento erat, precari pacem, qua et ipse sæpe usus est Salvator, et apostolos suos uti præcepit, ut intrantes domum dicerent: *Pax huic domui.* Et quidem rationi valde congruit, ut hoc magnum bonum viventibus apprecemur, sed quæ causa est, cur etiam defunctis Ecclesia catholica et quidem et tam frequenter, in s. missa, in exequiis, in sepulturis pacem hanc precetur verbis illis: *Requiescant in pace?* Quid enim inimicitiae, quid hostilitatis, quid perturbationis mortui jam timeant? Verum enim vero negari prorsus nequit indigere adhuc pace etiam defunctos, nec esse omnes in tanta quiete ut nihil adversi sentiant. Ecce enim anima Samuelis machinatione Saulis ab inferis, per pythonissam evocata, conquesta dixit ad Saulem: *Quare inquietasti me, ut suscitarer,* I. Reg. XXVIII. Non videntur igitur omnem prorsus quietem et inferi possidere, sed pacem perfectam adhuc expectare, atque exoptare quamvis non illi, qui ad cælum jam evolarunt, sed alii, qui ad patriam illam adhuc aspirant. Qualis vero sit ea pax, et quies, parumper explicemus.

I. Precamur eis pacem contra infestationes dæmonum, qui interdum sepulera infestant, et necromanticorum qui eorum ossa ad magiam adhibent. Scimus ex Matth. c. VIII. et Marco, c. V. dæmones in obsessis duobus habitasse in sepulcris. Scimus et diabolus cum Michaele contendisse de Moysis corpore, ut proderet in Judæis ad cultum idolatricum, ex epist. S. Judæ. Scimus et ex historiis variis quandoque sepulcra lemuriis et spectris infesta fuisse, et viventibus terrorem incussisse. E multis unum ad-

notemus, quod scribit B. Petrus Damiani card. in quadam epistola, de monacho sui monasterii (Perusini S. Salvatoris) cui nomen erat Gunizo; qui cum dæmoniacis artibus se addixisset, et tandem sine pœnitentia obiisset, postea ad ejus sepulcrum nigra canum turba per plures noctes adstitit, et quasi depositum suum custodit, ita ut videntes ingenti terrore percellerentur. Sanctus etiam Gregor. I. IV. dial. scribit moniam quamdam ob detractionis vitium et stultitium noctu a dæmonibus, vidente custode, e sepulcro extractam, ac cingulo tenus divisam, parte superiore cremata inferiore relicta. Propterea Ecclesia solet non modo cœmeteria sacrare, verum et lustrali aqua aspergere, et infixio crucis signo quasi sigillo communire. Quamquam aliæ etiam hujus ritus causæ sunt, ut videbimus alibi. Sæpius etiam compertum est sepulcrorum ossa a magis necromanticis exhumata, et ad præstigias dæmoniacas usurpata fuisse; ut non immerito defunctis in Christo pacem et quietem ab istorum insidiis precari possimus ac debeamus.

II. Precamur illis pacem, ut hac precatione condonemus eis, si qua in re aliquando nos forte offenderunt, atque adeo rogemus Deum, ut eos propter nos nulla velit pœna afficere, sed in gratiam potius recipere, quomodo Christus in cruce rogans pro inimicis Patrem, ut noxam eis dimitteret, ostendit se priorem jam eis dimisisse quod in ipsum deliquerunt. Solent homines passionibus addicti gaudere de interitu et morte eorum, a quibus offensi fuere, quod tamen charitati christianæ repugnat et pœna dignum est, luitque id Bureardus quidam patriæ proditor (cujus proditione 1600. Helveti a Delphino Galliarum rege anno 1442. apud Basileam interfecti fuere.) Cum enim inter cadavera cæsorum obequicaret, eisque insultans diceret: Quam jucundum hoc pratum! unus inter jacentes respirans et vires colligens in genua se erexit, lapidemque apprehensum in faciem equitantis projecit tam fortiter ut is plane de equo ceciderit atque extinctus sit, auct. Stumpsio, in chron. Helveti, Deo sic castigante sanguinarii hominis vocem. Ab hac crudelitate dehortatur nos Eccl. c. VIII. *Noli, inquit, de mortuo inimico tuo gaudere, sciens, quod omnes morimur, et in gaudium volumus venire.* Quem locum ita exponit Palacius: *Cum morimur, volumus in gaudium, id est, quietem et pacem, quæ gaudium causat, venire.* At hæc pax (si fieri posset) turbaretur, si sciremus inimicos nostros de nostra morte gaudere. Sane defunctis, etiam in statu bono, incumbere pœnam propter eos quibus nondum reconciliati, e vita abierunt, non

est dubitandum: et ostendit exemplo sibi exhibitio S. Vincentius Ferr. celeberrimus et miraculis illustris prædicator in ser. I. de dom. in albis in hæc verba: « Duo diffamaverant quemdam tertium, et qui ex diffamatoribus prior obiit, stetit per aliquod tempus in purgatorio. Cum vero inde exivit, credidisse statim iturum ad paradisum. At dixit Deus: Non intrabis, quia prius habes facere restitutionem famæ istius, » B. Vincentius Hispanus ordin. fr. Prædicator. scit istud esse verum, quod anima redierit; quia ipsemet fuit diffamatus, et ab ipso mortuus veniam petiit. Sic refert Daurolt. in catech. Quare ne hoc vel aliud tormentum sustinere propter nos forte offensus cogantur defunctorum animæ, nostrum est christiana charitate non modo non insultare aut male ipsis precari, verum etiam liberalissime condonare, Deumque rogare, ut quiescant in pace, et nihil omnino nostri causa patiantur. Rationem assignat duplicem Ecclesiast. loc. cit. Prior est *Quia omnes morimur*, h. e. celeri ad mortem cursu tendimus, et in eodem cœmeterio, forsitan et sepulcro conveniemus et cohabitabimus. Altera, quia et ipsi nolumus gaudere de morte et interitu nostro inimicos nostros. Quod autem ab *Alio oderis ferit tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, inquit Tobias, c. IV. filio suo. Exemplo est S. Job qui c. XXXI. dicit: *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exultavi, quod invenisset eum malum!* q. d. absit. Magis adhuc mirandum, quod homo gentilis, Julius Cæsar Pompeii hostis sui interfecti, statuas in foro dejectas, iterum restituerit. Quam ob rem Cicero ei dixit: *Pompeii statuas restituendo tuas defæxisti*, Plut. de utilit. ex inimic. cap. Simile quid faciunt, qui defunctis inimicis suis pacem et requiem precantur, et honorifice de iis loquuntur: dumque eorum statuas per mortem dejectas rursus erigunt per preces, sibi apud Deum statuas defigunt et gloriam comparant.

III. Precamur eis pacem, ut contra obrectatores et detractores honorem eorum tueamur. Repetere etenim sæpe est homines, qui cum vivos lingua sua proscindere non audent, defunctos lacerant et traducunt, contra id Levit. XIX. *Non maledices surdo*, h. e. absenti et non audienti, ut exponit S. Greg. III. p. pastor. admon. XXXVI. Quis autem magis absens et non audiens, quam defunctus? Surdus enim per alium descriptam in charta, vel tabula detractionem in se eusam potest intelligere, defuncti vero nullo modo. Sunt hi detractores similes hyænis quæ cadavera humana erunt e sepulcris et devorant, apud Pier. in hierogl. Quibus pœnam impendere

insinuavit Deus, cum ad præceptum illud Levit. addidit: *Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus*, q. d. quia audio et ulciscar. Et sane ultus est multoties, cum ejusmodi hyæne sanctorum virorum pios manes invaserunt, uti in Donato quodam Afro, Mediolanens. Eccles. presbytero, qui in convivio detrahebat memoriæ S. Ambrosii, præsentibus initio, postea vero audita detractione diffugientibus aliis religiosi viris: subito enim vulnere percussus gravi, e mensa elatus in lectulum inde ad sepulcrum deductus est, uti refert Paulin. apud Baron. anno 397. Qui ergo sepulcrum alienum infestare ausus fuit, jure ad sepulcrum elatus est. Quare, cum malevolorum dentibus appetantur mortui, piorum est illos vel defendere, si defendi possunt, vel saltem pro defuncto bene ominari, pacemque ei precari, et mordacem linguam opprimere. Quo sensu intelligere possumus, quod Ecclesiast. c. XXVIII. *In requie mortui requiescere fac memoriam ejus*; ut enim hyæne tales abstineant a laniena mortuorum, et horum memoria in ore canum saltem conquiescant. Merito ad defunctos applicare possumus dictum Constantini M. imp. quod de quibusdam episcop. accusatis dixit: *Se eorum flagitia si coram videret, paludamento suo operaturum.* Sic enim decet nos et eorum qui in fide obierunt, nec publica laborarunt infamia, acta mala silentio obtegere; præsertim quando et ipsa communis mater nostra terram jam operuit et sepelivit. Eo forsitan spectabant Græci, qui si forte insepultos aliquos reperissent, contegebant non lapidibus, lignis aut cespitibus, sed ter pulvere injecto operiebant. Romani vero levem terræ glebam iis injiciebant, addebantque illud: *Sit tibi terra levis*, ut refert noster Lorinus, in Num. cap. XVI. Cum ego ethnici cadavera suorum etiam ignotorum gravi premere pondere religiosum duxerunt, nullo modo decet Christianos, ut defunctos suos opprimant diceris, calumniis aut opprobriis: sed potius, ut pressos pia precatione sublevant, optando eis terram levem, h. e. pacem et requiem.

IV. Precamur illis pacem redimendam a divina iustitia, si forsitan ei obærat maneant, et urgeantur igne emendatorio ad præstandam solutionem; quod valde timendum est, quia admodum delicati et difficiles communiter sumus ad exolvendam nostram debitam in hoc sæculo. Ex quo necessario sequitur luenda esse in altero. Quare videntur mihi animæ in ergastulo purgatorii detentæ efflagitare a nobis eleemosynam, quo modo petiit mendicus ille ab Alphonso rege Aragonum hoc prætextu: « Ære alieno opprimor, o rex, et creditoris mei insolentissimi exactionibus atteror